

D · I · S · S · E · R · T · A · T · I · O ·
INAUGURALIS MEDICA
DE
RHEUMATISMO

QUAM
SENSU ET AUCTORITATE
MAGNIFICI DOMINI
PRAESIDIS, ET DIRECTORIS
SPECTABILIS DOMINI DECANI
NEC NON
CLARISSIM. DD. PROFESSORUM

GRADU DOCTORIS MEDICINAE
RITE CONSEQUENDO
IN ALMA AC CELEBERRIMA
UNIVERSITATE PESTIENSI
PUBLICAE ERUDITORUM DISQUISITIONI
SUBMITTIT

FRIDERICUS SCHMIDT,
HUNGARUS MAGNO-VARADINO BIHARIENSIS.

Theses adnexae defendentur in Palatio Univer-
sitatis majori die Julii 1834.

PESTINI,
TYPIS JOSEPHI BEIMEL.

PATRI OPTIMO

JOSEPHO SCHMIDT

STUDIORUM SUORUM PRIMITIAS



gratissimus Filius

Auctor.

Rheumatismus, Rheumatalgia, Seoria, Inflammatio
s. *Myodynia* s. *Arthrodynia* s. *Arthrosia* rheumatica,
seoria fibrosa. *Initis, Rheuma, Fluxio, Fluxus,* —
Hungar, Tsúz. — *german.* Gliederreißen, Glieder-
sucht, rheumatischer Muskelschmerz, Gliederweh.

Nomine rheumatismi intelligitur morbus peculi-
aris, cujus essentiam tensiones molestae, ac dolores
jam pungentes, jam lancinantes, non raro cum tumore
calente, rubro ac splendente nexi, ab atmosphaericis
influxibus orti constituent: qui raro tantum partem
unam occupant, frequentius cum universali reactione
sicque per hanc provocata consensuali febris incedunt,
quae a statu irritativo vel vera phlogosi textuum
serosorum ac fibrosorum musculorum ac n-
tentium, medioque tendinum eorum cum periosteo etc.
in artissimo nexu existentium, dependet.

Morbus quidem hic jam medicis antiquissimis:
Hippocrati Galeo etc. notus fuit; in Opere (de lo-
cis in homine) adnotatur, post refrigerium, dolores
in externis partibus exoriri, (cap. 51); plures histo-
riae morborum inveniuntur in (Epidem. L. I. Sec. III.
hist. 6. 10. imprimis 14. Adfuerunt dolores articulo-
rum vehementissimi cum intensa febre. Post 7. dies
sudore largo ingruente cessavit febris, doloribus re-
mansis, qui post crises largas per urinam ac alvum
secutas, die 11. evaserunt). In (Epidem L. III. Sect.
I. hist. 3.) febris gastrico — catarrhalis — rheuma-
tica intensa describitur. Denominatio *ρευματιώδης* in
(Epidem. Lib. VII. cap 5.) primo invenitur ad designan-
dam otalgiam pyorrhoea comitatam. — Galenus novit
morbum exacte (De different. febr. Lib. II. cap. 14.
15). Nec diathesis rheumatica sagacissimi mentem
omnimode fugit (De curatione per V. S. cap. 8. — ad
Glaucnem Lib. II. cap. 8.) Meliores descriptiones

occurrunt apud Riverium (Praxis medica. Lib. XVI. cap. 3.) et Ballonium (op. omnia Tom. IV.) Fr. Hoffmann. (Med. rational. systemat. Tom. III. cap. 3) Recentioribus temporibus exactius investigatus.

- E. Stahl*, Diss. de rheumatismo Halae 1707.
- R. Vogel*, Diss. de rheumatismi pathologia. Götting. 1765.
- Böhmer*, De rheumatismo et febre rheumatica. Halae 1774.
- Lentin*, Memorabil. circa aërem, vitae genus, sanitat. et morbos Clausthaliens. Göttin. 1779. p. 122.
- Isenflamm*, Diss. Arthritidis et rheumatismi diagnosis. Erlang. 1787.
- Addison*, Diss. de rheumatismo acuto. Edinb. 1789.
- Engelhart*, Diss. de rheumatismo acuto. Lond. 1790.
- Augier*, Diss. de rheumatismo acuto. Edinb. 1791.
- Th. Fowler*, Bemerkungen über die Cur des hitzigen und chronischen Rheumatismus. A. d. Engl. Bresla. 1795.
- Birkholz*, Diss. de rheumatismo acuto et chronico. Lips. 1798.
- Serniac*, Essay sur l'inflammation rhumatique. Montpellier. 1802.
- Fardel*, Recherches théorique et pratique sur le rhumatisme et la goutte. Paris. 1803.
- G. L. Thaden*, vom Rheumatismus und der Gicht. Erlang. 1804.
- Latour*, Vers. über den Rheumatismus A. d. Franz. Hildburgh. 1806.
- Wilson*, Handb. über Entzündung, Rheumatismus und Gicht. A. d. Engl. Leipz. 1809.
- J. Ch. A. Clarus*, Annalen des klinischen Institutes in Leipz. 1812. I. Band. Abth. II. S. 154 — 178.
- Cruveilhier*, (L. T.) Diss. sur le rhumatisme aigu. Paris 1812.
- J. S. Baer*, Abhandlung über Rheumatismus und Arthralgie. Prag. 1817.
- Hahn*, Diss. de inflammatio. systemat. fibrosi. Halae 1819.
- Kleinsorge*, Diss. de rheumatismo vero pathologico et therapeutice adumbrato. Rostok. 1819.

- C. A. Mayer*, Versuch einer neuen Darstellung des Unterschiedes zwischen Gicht und Rheumatismus. Hannov. 1820.
- J. G. Vogel*, Hdb. d. prakt. Arzneiwissensch. Th. II. 1820. §. 92 — 171.
- Wiltzack*, Diss. de rheumate calido. Berolini 1823.
- Dietsch*, Diss. quaedam ad Rheumatismi naturam spectantia. Jena. 1824.
- L. A. Gosse*, Traité des maladies rheumatoides. Geneve. 1826.
- Seudamore*, Treatise on the nature and cure of Rheumatism. etc. London. 1827.
- M. E. A. Naumann*, H'ndbuch d. medicin Klinik. Berlin 1829. Bd. I. pag. 34 — 98.
- Duringe*, Monographie du rhumatisme, on études nouvelles des affections rhumatismales récentes, inveteres, externes, et internes. Paris 1830.

Excluduntur hic loci omnes illae adfectiones dolorificae, quae sub scrofula, scorbuto, syphilide, aliisque cachexiis evolvuntur ac rheumatismi spurii nomine a quibusdam insigniuntur; cum vel absque omni phlogoseos nota decurrunt, vel aliis specificae inflammationis, scrofulosae, syphiliticae etc. effectum et symptoma sistunt.

Quod sedem morbi attinet, rheumatismus in omnibus a recentioribus physiologis (Bichat, Burdach etc.) ad membranas serosas et fibrosas relatis partibus occurrere potest.

Potiores rheumatismi differentiae ab auctoribus recensitae: sunt *Rh. verus, spurius; rh. acutus, et chronicus, recens, aut inveteratus; febrilis, aut apyretus; rh. inflammatorius, calidus aut non inflammatorius, frigidus; rh. fixus, aut vagus; rh. simplex, aut complicatus; sporadicus, endemicus aut epidemicus*. Hae diversae differentiae rheumatismi videntur ab ipsa constitutione individuali, pro diversa modificatione causae excitantis, ac genio epidemiae regnantis variare, et relate ad formam, et relate ad characterem dynamicum.

Quamvis cuilibet adductarum rheumatismi differentiarum sua competat dignitas, praeplicuit tamen

quibusdam recentioribus auctoribus sequentia ex his segregare, easque ut peculiare rheumatismi species pertractare.

1) *Rheumatismus apyretus recens*, non raro primarie oritur, qui hominem apparenter sanum, nullis prodromis praegressis, mox post refrigerium imprimis in aëre tractili admissum subito invadit, manifestando se in leviori gradu dolore pruriente, ardente, tensivo; in majori dolore punctorio, lacerante, scindente, qui nunc unam partem occupant, iam in variis evolvuntur locis; praesertim in capite, nucha, humeris et extremitatibus. Partes dolentes sunt nimio opere sensiles, calore jam normali, aut imminuto, alias magis intenso, saepe cum tumore duro rubro; dolores per diversa temporis intervalla iam protinus cessant, iam remittunt, aut intenduntur, qui sub pressione, motu e. s. p. magis exasperantur.

Haec rheumatismi species faventibus circumstantiis, ac sub therapiae rationalis usu, mox in statum normalem reducitur, relinquendo pro tempore peculiarem nisum in recidivas; — sub adjunctis contrariis transit in inflammationem rheumaticam, aut evadit chronicus.

2) *Febris rheumatica* vocatur etiam *Febr. rheumatodes*. *Febr. inodes*. *Rh. febrilis*. *Rh. calidus*, *inflammatorius*. *Rh. febricosus* (Sauw). *Rheumatopyra*. *Inopyra*. (Swediauer). Vix unquam de repente invadit, sed praeviae opportunitatis signis annunciat. Incipit ab horripilationibus vagis, brevibus, raro iteratis, lassitudine, inertia ad motum, atque molestis hinc indentionibus musculorum, quibus aestus subsequitur universalis, cephalaea, carebaria, siti intensa, quandoque molestiis anginosi comitatus. Eodem tempore dolores vel fixi unam partem occupantes (*Rh. fixus*), vel vagi ab uno loco ad alium migrantes (*Rh. vagus*, *fluxio*), tensivi punctorii, lancinantes, stringentes in variis evolvuntur locis, praesertim in artubus, et quidem crebrius in nucha, humeris et genubus; sed et in aliis partibus. Secundum C. Vogel 1) in subjectis junioribus corporis pars media horizontalis superior.

1) Vogel, Handb. d. prakt. Arzneiwissensch. Thl. II S. 129.

in adultioribus inferior ab ossibus pelvis ac regione lumbali deorsum imprimis rheumatismo succumbunt. Hi dolores ad vesperam valdopere exasperantur unacum febrilium symptomatum turba, sublucanis vero denuo remittunt horis, tactum reformidant, motum partis adfectae difficilem reddunt, aut prorsus impediunt, urgente tamen continuo ad motum tenesmo. In rarioribus individuis sensus frigoris cum dolore junctim incedunt. Si rheumatismus per organismum latius extensus sit (Rh. diffusus), tunc doloribus vexatus aeger vix situm mutare valet. Observati casus ubi a minimo strepitu in vicinia exorto, imo ab ipso motu aëris conclavis dolores notabiliter exasperati sunt. — Respiratio, nisi thoracem plectat rheuma, illibata persistit; lingua semper humida et pura cernitur; symptomata gastrica nonnisi aestivo, vel sordibus complicato rheumatismo competunt; alvus a norma vix aberrat. Ad febris rheumaticae essentiam spectat, urinarum et cutis conditio peculiaris: urinae per totum ferme decursum sunt vel turbulentae, quales jumenta mectunt, vel profunde rubrae, aut brunei coloris, cum ardore emissae (Naumann 2), hypostasin brevi deponentes rubellam aut lateritiam, quin tamen criticae sint. Transpiratio demum superficialis eum in modum aucta esse solet, ut copiosissimo ast non levante sudore diffluant aegri, quo vix absterso recens, visibili fere modo, e poris cutaneis propullulat, odoris proprii, acescentis; minime sudant partes doloribus cinctae. Quo copiosior fuerit ephidrosis, et quo diutius continuaverit, tanto libentius retenta hinc inde in folliculis cutaneis, hosque irritans materies perspirabilis exanthema in superficie cutis propullulat papulosa, vel vesiculosa, uti eczemata et miliaria, quae tamen semper accidentalem, ac mere symptomaticam eruptionem constituunt, imminuto sudore sponte evanescentem.

Febris rheumatica post unum alterumve cyclum septenarium frangitur una cum topicis, quae ab inflammatione rheumatica concitantur, symptomatibus, quo quidem etiam conatus critici, ast plerumque im-

2) Handb. d. medicin. Klinik. Bd. 1. S. 35.

perfecti, suam conferunt partem. Eapropter morbus nonnisi per passus decrescit, superstitionibus per indeterminatum tempus doloribus rheumaticis, artuum rigiditate, ac levi febricula vespertinis redeunte horis, donec absoluto hocce secundo, rheumatismi acuti stadio perfecta subintret convalescentia; aut circumstantiis minus faventibus in:

3) *Rheumatismum apyretum inveteratum* transit, vocatur etiam *Rh. chronicus, habitualis*, estque continuatio aut *Rh. apyreti recentis*, aut consecrarium Febr. rheumaticae minus resolutae; solet absque tumore, aut saltem sine rubore et calore partium adfectarum incedere, et magis saepiusque adfectionem nervosam, quam chronicam inflammationem sistit; hincque auctores multi ad nevrosium classem (*rheumatalgias*) relegant. Dolores communiter sunt vagi, iam mites, iam vehementiores incertis temporibus remittentes imo intermittentes; sic evolutus per septimanas menses, quin imo annos excurrit, et si fortuito febris accedat, illa vel per exasperationem rheumatismi productum symptoma, vel febris lenta est. Ipsis intervallis doloribus liberis partes affectae nimiam erga aërem frigidum, humidum, ventum, et tractum aëris retinent sensilitatem, ac in iis citra accessum alterius causae exorti dolores tutos sat saepe tempestatis indices constituunt.

Haec rheumatismi species vel resolvitur, et quidem jam sub iteratis sudoribus, vel per tumores oedematosos facile resolvendos, vel per furunculos, vesiculas in parte adfecta erumpentes, vel exanthemata varia; aut vero in indurationem, ankylosin, paralyisin, rarius in suppurationem (sed et sine hac), in febrem depascentem transit.

Non raro, quod aeger dispositionem eminentiorem habet ad morbos inflammatorios, vel quod constitutio epidemica regnans characterem eminentem inflammatorium producit, vel quod aeger causis stimulantibus expositus fuit, character dynamicus febris exaltatur ita, ut symptomata omnia synochae evolvantur, ut calor intensus, pulsus frequens, durus, cephalaea magna, nec raro delirium, sopor vel per-

vigilium, os siccum, sitis nimia urina pauca flammae dicitur:

4) *Febris rheumatica inflammatoria, Orrhymenitis* (ορρῆμος serum, et ὄρεν membrana) Hildenbrandio 3) qui quatuor statuit rheumatis ac inflammationis rheumaticae species, pro diversitate sedis tot varietates differentes includentes; scilicet: 1) Inflammatio vaginae nervorum, Nevritis, aut Nevrolemmitis, cui et illam arachnoideae adjungit. — 2) Inflammatio membranarum serosarum, quae sua super viscera prolongatione horum involucra formant; Splanchnitis. — 3) Inflammatio membranarum, quae musculos amiciunt, ac inter eorum fibras et lacertos immerguntur; Myitis. — 4) Inflammatio capsularum articularium; (Arthritis). Talis facile complicatur cum rheumatismo interno durae matris, vel arachnoideae, vel pleurae, vel peritonei, vel pericardii, et status subinflammatorius exaltatur in phlogosin veram, quae communicatur visceribus membranis dictis subjectis, et tunc non raro observantur symptomata febris nervosae vel putridae, quae vocantur ab autoribus *Febres — rheumatico — nervosae* (hanc describit C. Richter 4). — C. Sydenham 5) sub nomine Rheumatismi scorbutici, describit de pertinacia hujus conquestus „Aegrum alternatim divexat ac in diurnitatem longam se protrahit“; et *nervoso-putridae*, V. Hildenbrand. 6) „In characterem nervosum vero nullum prorsus agnoscit nisum, tum ex eo, quod magis symptomata sit, tum, quod sub ejus decursu culis semper pervia, imo sudans cernatur, ac ideo adaccumulationi principiorum phlogisticorum minime faveat.“ — Describuntur ab auctoribus etiam *febres rheumaticae catarrhales ac gastricae*, quae non distinctae, sed tantum complicatae sunt; nam ob dispositionem negri peculiarem, subinde per eandem causam excitatur cum febre et rheumatismus et catarrhus, et gastricismus; subinde causae diversae in organi-

3) Insti. Prac. medic. Tom. II. p. 75.

4) R. A. G. Richter, Spec. Therap. Thl. II. S. 30.

5) Ope. universa. Lips. 1827. Sect. VI. cap. 5. p. 213.

6) Instit. Tom. II. §. 235.

num agentes hos status morbosos provocant cum febris coexistentes.

Differentiae a morbis aliis.

1) Ab arthritide per antonomasiam dictae, aliis passio podagrica, ut distinguatur ab inflammatione articularum ad etymon designante.

Arthritis rheumatica passioni podagricae s. arthritidi quoad formam quidem analogam, quoad essentiam vero diversam sistit aegritudinem; destituitur specifica illa systematis reproductivi et praesertim viscerum abdominalium labe, quae arthritidi originem praebet, eamque constanter comitatur. Id tamen cum passione podagrica commune habet, quod, si chronicum in decursum, subinde systematis uropoëticae functiones perturbet. dysuriam et stranguriam provocet, urinarumque qualitatem ita alteret, ut acidi urici et rosacei praedominium manifeste pateat, quod ultimum princeps elementum hypostaseos rubrae, urinis rheumate laborantium adeo communis, constituit. 7)

2) Inflammatio rheumatica proprios agnoscit ac definitos characteres, quibus tum a legitima sive phlegmonosa, tum ab aliis ejusdem prosapiae specificis, catarrhosa et erysipelacea abunde differt:

a) Symptomata inflammationis communia partiales quasdam offerunt modificationes; — *doloris*, qui eminentis rheumatismi *πᾶθος* constituit, major est intensitas, quam in catarrhosa, minor tamen constantia, quam in phlegmone, vesperi enim valdopere exasperatur, versus auroram remissus, ac peculiaris insuper ipsius doloris qualitas esse consuevit, tensivus nempe est, punctorius, lancinans, vel aurae agitatae sensum adferens, ad tactu augendus, — *ruboris* ac *tumoris* minor vehementia, vel etiam absentia, quod facile ex membranarum serosarum sede profundiori, vasorumque sanguiferorum penuria concipitur.

b) Substratum proprium agnoscit, et quidem primitivam sedem in membranis serosis figit, morbo

7) Sachs (L. G.), Commentatio de accuratiori rheumatismi et arthritidis diagnosi prodromus. Lips. 1827.

tamen ingravescente, aut diutinum decursum ineunte fibrosas quoque membranasprehendit. Hac igitur ratione denuo abunde differt: α) a phlegmone, quae qualemunque partem sine distinctione plectit; β) ab inflammatione catarrhali, quae ad membranas mucosas, γ) ab erysipelate, quod ad solum derma refertur.

c) Fixam sedem raro conservat, sed per ejusdem familiae membranas sine lege vagatur, differt tamen ab inflammatione catarrhosa, respectu hujus inconstantiae eo, quod non solum ejus ad instar ad vicinas serpat partes, sed ad remotissimas etiam transiliat, ita quidem, ut hicce in mataschematismos nisus essentialem phlogoseos rheumaticae characterem sistat.

d) Decursum plerumque tenet minus acutum, quam phlegmone, duobus plerumque stadiis distinctum, quorum secundum latens congestio chronica cum doloribus et morbosa secretionem serosam constituit.

e) Secreto sero, vel saltem exhalatio vaporis serosi quantitate aucta non minus, ac ejus qualitas abnormis, a laesa substrati organici functione dependens, quemvis rheumatismum, praesertim chronicum comitatur, nequaquam tamen essentialem notam praebet. Quatenus vero plerumque organa motoria, et praesertim artus plectere solet, dyskinesia et anxietas musculatis inter constantes rheumatismi comites numerantur. Quemadmodum morbosa secretio characterem essentialem inflammationis catarrhosae, ita dolores pathognomicum rheumaticae adtributum ponunt.

f) Sui praesentia specificam relinquit diathesin, rheumaticam dictam, talem utpote organismi conditionem, qua posita perennis non raro, ac summe, pervicax in recidivas nisus fovetur; hancce in recidivas proclivitatem cum catarrhosa et erysipelacea communem habet. Quae tamen hac diathesi imbuta sunt subjecta, catarrhis et erysipelate raro adficiuntur.

g) Oritur semper e causis relative incitantibus, in specie ex atmosphaerae vicissitudinibus, functionem cutis primario, illamque membranarum serosarum secundario laedentibus. — Miasmata contagiosa nullum in membranas serosas, ut in catarrhosa influxum exerere videntur.

h) In determinatos nititur inflammationum exitus, praecipue in exsudationes varii generis, lithogenesis, ossificationem, in congestiones chronicas et dolorosas, alias vero terminationes, uti suppurationem; indurationem, et gangraenam vel prorsus excludit, vel saltem rarissime init; quod tamen cum catarrhosis et erysipelaceis nequaquam accidit.

A e t i o l o g i a .

Quamquam vix non omnes homines, dummodo potentiis procatarticeis exponantur, rheumatismis contrahendis pares sint; nonnulla tamen individua, caeteris paribus multo magis disposita esse, quotidiana confirmat experientia. Maximam dispositionem cernere licet in cunctis sensibilibus, exhaustis, hystericis, qui teneram cutis compagem habent, atque atmosphaerae injurias nimis sollicite vitare student. Compertum quoque habemus, fibrarum muscularium distorsiones, ligamentorumque tensiones violentas rheumaticam invitare diathesin, ipsumque dolorem, qui primo fixus erat, non raro ad plures extendi partes, suffragante mirifico inter organa homogenea consensu.

Principem vero in rheumata proclivitatem inducit morbus semel aut pluries exantlatus, ac justo major in sudores propensio, qua posita peculiaris in injuriis externis percipiendis receptivitas imprimitur. Hoc respectu disponere juvabunt cuncta illa momenta, quae transpirationem intendunt, uti cursus, abusus spirituosorum, labores strenui, cura mercurialis, regimen nimis calidum; sic dum continuo in cubilibus calidis manent, vestibus pelliceis corpus semper fovent, qui balneis calidis, diaphoreticis utuntur; qui e puerperio, e morbis diuturnis, imprimis e rheumatismo gravi reconvalescunt. Lubenter excluduntur dispositiones in phlogoses specificas alius generis, uti catarrhosas, vel erysipelaceas, diathesi rheumatica praesente.

Existunt demum quaedam dispositiones speciales, in certas utpote rheumatis formas, quas praeprimis morbus semel aut pluries exantlatus, ac epidemico genius determinant. Ita tempore hyemali pleuritides,

aestivis vero diebus enteritides rheumaticae communes esse solent.

Causa excitans rheumatismi est unica nempe refrigerium repentinum corpori aestuanti admissum; imprimis vero refrigerium humidum multo majorem effectum exerit, ideo tempore frigido inopinate suborto, simulque pluvioso aut nebuloso vulgares esse solent rheumatismi, non requiritur ut tota superficies corporis aëri frigido exposita sit; sufficit si pars una contingatur, ita per ventum frigidum, per tractum aëris inter rimas fenestrarum et portarum per lotionem corporis frigidam, per solam denudationem corporis provocatur; subinde constitutio atmosphaerae rheumatismo fovens epidemica est. Causa vero rheumatis nunc in hac, nunc illa parte exorti videtur ab ipsa speciali organismi dispositione, aut eminente cujusdam partis erethismo vel vitalitatis augmento, ipsiusque refrigerii directione determinari.

Ut aetiologia cujuspiam morbi plena sit; causa quoque hujus proxima designari debet. Negotium ubique arduum, sic et hic ita, ut hucum adminus nihil certi de ea statui potuerit. Non desunt quidem medici omnis aevi, quique celeberrimi, causam proximam rheumatismi definire volentes; alii eam a materia rheumatica, ab acrimonia, quam sententiam ipse Vogel 8) plures species distinguendo sequitur; alii demum a solidorum atonia, spasmo, asthenia ac a transpiratione suppressa repetunt. Hildenbrand 9) ex turbato aequilibrio harmonicae relationis inter electricitatem atmosphaericam et processum zoo-electricum existentis dependere docet. Secundum C. Naumann 10) essentia rheumatismi consistit in irritatione congestivo-inflammatoria (congestiv-entzündliche Reizung) serosorum ac fibrosorum nec non his quoad texturam maxime affinium organorum.

8) S. G. Vogel, Handb. Th. II. S. 145.

9) Instit. Tom. III. §. 1162.

10) Handb. d. medic. Klinik. Bd. I. S. 67.

T e r m i n a t i o n e s .

Rheumatismus diversum sortitur exitum, vel nimirum in *sanitatem*, vel in *alias noxas*, vel denique ipsam *mortem* inducit. Quod terminationem in salutem attinet, haec sub conditionibus propitiis consequi potest per autocratiam naturae intra dies 7, 14 21. Excretiones, quae cum emolumento contingunt, sunt sudores modesti et aequabiles, ac urinarum saturarum fluxus. Crises perfectae eo citius sperandae, quo vehementiora, ac perfectius symptomata febrilia evoluta fuere. Dignosciturque ex superveniente pacato ac refocillante somno. Morbo pedetentim decrescente, dolores intensitate quidquam remissi cum singulari debilitate et rigiditate articularum remanent, cum supervenientibus vespertinis horis lenioribus febrilium turbis, donec tandem 4 — 6 hebdomade penitus cessent. Circa hocce tempus non raro furunculi, ulcera exigua, exanthemata chronica diversae indolis observantur. Adfectiones topicae vero tamquam congestiones activae, vel verae phlogoses membranarum serosarum et fibrosarum, benigna resolutione dissipatae mox pristinam recuperare sinunt sanitatem, mox relativam tantum admittunt, relicta utpote in eundem morbum subeundum opportunitate.

Morbus resolutionem recusans in diversa nititur posthuma, quorum nonnulla a sola adfectione locali, alia a febre comite dependent, atque nisi medelam admittant, lento passu ad exitialem conducunt finem. Ob substrati naturam, causamque dynamicam, nonnisi raro vera phlogosis evolvitur, hincque nullum ferme in suppurationem, indurationem, et gangraenam nisum ostendit, quin tamen possibilitas datis circumstantiis penitus excludatur. — Communiores rheumatismi acuti exitus 11) sunt: congestiones chronicae doloribus nuptae (Rh. chronicus, Rheumatgia), metaptoses, exsudationes variae, et concrementa calcaria.

Exitus in mortem nonnisi rarissime directo modo obtinet, quia congestio, vel phlogosis vix unquam

11) Naumann, Handb, Bd, I, S. 73 — 43.

illum attingit gradum, quo vitae infensa reddi posset. Nihilominus tamen rheumaticae inflammationes pleurae, pericardii, arachnoideae, intestinorum praesertim a funesto metaschematismo (Rh. retrogradus) exortae nobilioris organi functionem opprimendo lethales fieri observantur. — Indirectae mortis rationem invenire licet in variis inflammationis gravioris consecrariis, in morbi diuturnitate, doloribus pervicacibus, febre lenta, et tabe.

Praeter adducta consecraria in cadaveribus inveniuntur concretiones musculorum inter se et cum cute, in rarioribus casibus ubi character phlegmonosus muscularis communicatus fuit, transmutationem eorum in materiam adipocerae similem adnotant, aut in spongioso fungoso massam. 12) — Interdum visa est, ubi massa muscularis mollis substantiae cerebrali analogae evasit. 13) In nonnullis casibus devastaciones gangraenosae partium muscularium, ut Lientaud 14) et J. Frank 15) observantur.

PROGNOSIS.

Rheumata in genere, etiamsi summe dolorificum sistant malum, plus timoris, quam periculi incutiunt, praesertim si externas magis, ac ignobiliores partes occupaverint; aliter tamen de rheumate vago sentiendum, ubi prognosis semper debita cautione instituitur, oportet, ob adeo eminentem in metaschematismo nisum; summe fatales vero ex his sunt illae, quae ad involucra organorum internorum imprimis nobilium contingunt, talique ratione improvisum discrimen adferunt. Idem valet de rheumate primario in iisdem locis evoluto. Sundelin 16) adnotat, quod malignitas talium metastasium in rheumatismis acutis non a statu peculiari athenico dependeat, sed magis in ejus intensitate extensione radicetur.

Inflammationes rheumaticae saepius recidivae, pravo regimine, vel inepta cura exasperatae chronicam, ac difficulter eradicandam rheumatalgiam re-

12) Richter, Chirurg. Bibl. 10. Bd.

13) Samml. auserles. Abb. 2. Bd. S. 286.

14) Hist. anat. med. Vol. 1. Art. II, obs. 3. Art. X. obs. 341.

15) l. c. p. 631.

16) Horas. Arch. 1824. Histo. 3.

linquunt. Dum ex parte epidemiae hyemalis ad altiore[m] evehuntur gradum, vel constitutionis aestivae gratia cum gastricis sordibus complicantur, aliave ratione anomalae redduntur, pertinaciores esse consuescunt. Sanatu difficillima sunt rheumata fixa, imprimis dum sedem in nevrilymate aut articulis habent. Facilius obediunt rheumata viscerum et musculorum. In rheumatismis chronicis inveteratis saepe adfectiones catarrhales, ut choriza, tussis etc. in hystericis, et hypochondriacis individuis diversi spasmi cum externis doloribus rheumaticis alternantes observantur, quorum itaque ratio habenda.

T h e r a p i a .

Quatenus omne rheuma ubi in principio versatur, manifesta congestionis activae, vel phlogoseos verae indicia offerat, nimia vasorum capillarum activitas antiphlogisticis compescenda erit; *indicatio generalis*. — Ut autem horum remedium actio versus atrium morbi dirigatur, iis simul concurrendum erit adminiculis, quibus electiva versus superficies exhalantes actio competit, qualia sunt diaphoretica; *indicatio specialis*.

Hancce curam rheumatismi indicationi generali superstructam, pro varia morbi forma et gradu (Rh. pyretus vel apyretus etc.) casui individuali diversimode modificare oportet. — In Rh. apyreto primario recenti, et Febri rheumatica minus intensa methodus antiphlogistica mitior sufficit, hinc aëris temperatura aequabilis, ad quem scopum tepor lecti plurimum confert; diaeta blanda, pro potu aqua, pro medicina in plurimis casibus nitrum, aut sal ammoniacus, aut tartarus emeticus dosi refracta commendantur.

Ubi febris rheumatica intensior cum inflammatione majori membranarum serosarum aut fibrosarum nexa est, ibi methodus antiphlogistica strictior locum habet; suum itaque locum defendunt omnia evacuantia, praesertim eccoprotica, emollientia, diluentia, ipsaque venaesectio, si gravior urget phlogoseos in organo nobiliori, ac febris comitis gradus. Hirudinum applicatio nisi altior vigeat inflammationis rheu-

maticae, fixam sedem tenentis, gradus, nobili cuidam visceri insidias struens, uti esset v. g. meningitis rheumatica, ob tantum nisum in metaschematismos non commendatur.

In satisfacienda speciali indicatione ad sequentia attentio dirigenda.

a) Ut superficiei cutaneae conditio, quae rheumatis ortui favet, ac sub ejus decursu persistit, corrigatur; ea propter aër cubilis esto purus, siccus et moderate calidus, cuncta, quae humiditatem pariant, uti parietes humidi, linteorum exsiccatio in eodem, quo aeger decumbit cubiculo, rheumatis sanationi summopere obstant. Eodem respectu male faciunt fomentationes humidae, et cataplasmata tam frigida, quam calida, nisi fixam rheuma ad phlegmonosam inclinans indolem, illis egent. Lecti tepor aequabilis, ac fomenta sicca in Rh. tam apyreto, quam pyreto inflammatione intensiori jam fracta competunt; in hunc usum varia ad partes dolentes ter, quater per diem adplicando adhibentur; uti sunt stupâ canabina, gossypium, lana, panni xylini, sericum ceratum, pelles animalium, leporum, cuniculorum etc, quae tanto majorem efficaciam acquirunt, si substantiarum resinosarum succini, mastiches, benzoës, elemi, olibani, storacis, vel baccarum Juniperi, Sacchari fumo impraegnantur.

b) Ut causa excitans arceatur; quare omne vel minimum refrigerium scrupulose vitetur, quod supra dicta aëris ac lecti qualitate adamussim praestabitur. Si fenestrae aperiuntur, aërem debite renovandi gratia, studendum erit, ut oppositi lateris aperturae clausae maneant, ac praesertim subtilioris aurae per rimas trahentis aditus praepediatur.

c) Ut actio remediorum versus adfecta loca determinetur; hoc per observationem priorum cum remediis diaphoreticis in usum tractis praestabitur, uti sunt: decocta et infusa emollientia tepide sorbillata, sambucina, folia Theae, Acetum ammoniacale, aliaque plura. In rheumatismo chronico apyreto cadet de Veaux commendavit, ut aeger omni quadrante horae uno poculo aquam calidam bibat, donec 48 pocula evacuaverit.

Inflammatione fracta, diatesi rheumatica tamen non evulsa, ab antiphlogisticis pedetentim recedendum, ac ad ea transeundum remedia, quae superstitem sensibilitatem temperare, dolores lenire, stases chronicas resolvere, atoniam corrigere, atque simul effectus posthumos, si quidem remanserint, tollere valent. Inter remedia interna porrigenda omnis generis resolventia, praesertim acria, insignem manifestant efficaciam, uti sunt: Antimonialia; sulfur auratum antimonii (saepe cum parvis dosibus camphorae junctum), Tartarus stibiatus, sapones medicati; flores Arnicae, Mercurialia (imprimis Calomel gra. dim. cum. Extr. Aconi. gran. uno omni die bis), Aethiops antimonialis, sulfur, extracta amara, Ipecacuanha in refractis dosibus; porro quaedam irritantia resinosa, quae vasculorum serosorum activitatem promovent, uti Quajacum (cum mucillaginoso), lignum sassafras, china nodosa, Sarsaparilla, Juniperus (in decoctis concentratis). A remediis stimulantibus potentioribus cavendum semper erit, quum phlogistica nota etiam devicta, continua in eam latet dispositio recidivis favens.

Scopo dolores leniente quidem narcotica quaevis, praesertim opiata, jam sola jam cum camphora, tartaro emetico, calomela, ipecacuanha combinata conveniunt. Eminent quaedam substantiae narcotico-acres, quae praeter dolorum lenimen simul stases chronicas resolvere, ac systematis lymphatici actionem excitando, absorptionem effusi laticis serosi promovere juvant; uti sunt caules Dulcamarae (in decocto, ab initio ad dra. duas ad Col. Unc. 24—12), extractum Aconiti (secundum C. Störck, incipiendo a grano dimidio, sensimque ascendendo ad gra. 6.—8. pr. d. in combinatione cum scrup. semis gr. XV Nitri), et folia Rhododendri chrysanthemi 17) (stipit. et fol. Rhododendr. chrys. dr. duas infunde c. Aq. fontan. Unc. octo, stent in digestionem in vase bene clauso per hor. 24, dein coque ad reman. Unc. jii. Col. Sig. Omni die mane medio vasculo Coffea).

17) A² Fr. Metternich, über die gute Wirkung der Sibirischen Schneerose in der Gichtkrankheit. Mainz. 1810.

Non raro rheumatismus chronicus sustentatur per statum asthenicum organorum nutritionis ac reproductionis, atque tunc remedia roborantia sunt efficacissima antirheumatica; saepe mitiora amara stomatica, saepe amaro-aromatica, ut radix acori, non raro martialia, in majori gradu debilitatis et praeparata chinnae sola aut in conjunctione cum extracto Aconiti, reactionem desideratam provocant.

Rheumatismus chronicus habitualis, acuti pertinacioris aut saepius recidivi consecrarium, a multis auctoribus ad nevrosium classem relegatus. Quapropter etiam variae sunt medendi methodi, quae ad eum debellandum in usum trahi solent, uti sunt mercurialia ad salivationem usque propinata in nevralgiis, electricitas in paresi rheumatica, thermae sulfureae in arthralgiis, moxa in ischiagra etc. atque multifaria remedia moderno aevo proposita, v. g. radix sanguinariae canadensis, liquor arsenicalis (Cadet de Veaux), extractum sabiniae, et stramonii, fumigationes sulfureae et camphoratae, succus phytolaccae de-candrae, spiritus Beguini (Alcohol sulfuris), compressio et fusticatio artuum; in Germania adhibitum fuit oleum jecoris aselli, exhibitum mane jejuno stomacho, post prandium hora quarta, vesperi hora nona uno cochleari cibario; ob ingratum saporem Katzenberger 18) in clysmate dispensat. Angli 19) maxime commendant semina colchici autumnalis, uncis tribus semium contusorum adfunditur spiritus vini rectificati libra una, diregitur per 14 dies, ex colatura sumuntur bis ter per diem guttae 15—30 in uno cochleari aquae, quamprimum nausea, vomitatio, aut alvi evacuatio frequentior excitatur, usus intermittendus est ne gastro-enteritis provocetur. In Gallia 20) majorem laudem sibi meruit oleum destillatum terebinthinae, cujus drachma una, ad tres vices exhibetur pro nycthemero, cum melle vel syrupo, gummi arabico, vel magnesia usta.

18) Hufelands Journal 1824. Hft. 11.

19) Practical observations in the use of the colchicum autumnale, (the London med. and surg. Journal 1828. Aug.)

20) L. Martinet, du traitement de la sciéptique et de quelquet névralgies par l'huile de térébentine. Paris 1829.

Recentissimo tempore commendant Veratrinam ad gr. duo externe cum unguento quodam; et Creosotum sic Prof. Dr. Reich 21) refrigerio contractum rheumatismum, im proprio corpore felicissimo cum successu impugnavit Cresoto ita, ut nec minime labore interrupto, sanitati pristinae per 9 dies restitueretur. — D. Tschepke narrat 22) mulierem ab annis rheumatismo inveterato afflictam, qui jam unam, jam aliam partem corporis, imo encephalon invadere solebat, sanitatem diu anhelatam externa Creosoti applicatione recuperasse.

Forma, qua aegris Creosotum porrigitur, est solutio in aqua, vel emulsio amygdalina, haec tamen minus bene fertur ob odorem inamoenum. Hinc a plurimis forma pilulari praescribitur. C. Dr. Reich sequenti formula usus est.

Rp. Creosoti Dr. unam
 Succi Glycyrrhyae
 Gum. Galbani aa. Dr. semis
 Pulve. Rad. althaeae. Dr. duas m. f. l. a.
 pil. N. 120.

Sig. Quater per diem pil. N. VI.

Dosis nychthemera infer gr. V-XX. versatur: haec pro ratione circumstantiarum in quatuor, sex, octo partes dividenda.

Tractamentum locale, cum indicationibus et indicatis adductis in eundem scopum collimare debet. Si continuatus usus fomentorum siccorum vel sacculorum discutientium, qui e farina fabarum, floribus chamomillae et sambuci communiter conflari solent, incassum tentatus fuerit, ad frictiones siccas, pannis xylinis vel laneis, resinoso quodam fumo imbutis instituendas, ad litus mercuriales, aliusve generis resolventes vel aromaticos cum Ammonia, sapone, tinctura Quajaci camphorata, unguento nervino, vel ad ipsa revellentia recurrere oportet, uti sunt cucurbitulae siccae, sinapisinus, emplastrum cantharidum 23).

- 21) Journal der practischen Heilkunde. Herausgegeben v. G. W. Hufeland, et E. Osann. 1834. Berlin Tom. 17. pag. 79.
 22) Medicinische Zeitung 3 Jahrgang. Berlin. N. 13. pag. 50.
 23) Circa usum vesibantium in pleuritide rheumatica vide observationes — Stollii, Ratio medendi. Pars I. p. 63. — 73. Edit. Ticini. 1788.

cortex mezerici, unguentum emplastrum antimoniale, his haud sufficientibus moxa et ferrum candens.

Magnam celebritatem meruerunt in sanando rheumatismo thermae sic dictae sulfureae, quae partim forma potus, partim balnei adhibitae, ad morbum sanandum conferunt; qui thermis naturalibus uti non possunt, illis commendantur artificiales, Sulfureti calcis vel lixivae unciam unam, duas, pro balneo uno adhibendo. Commendatur quoque balneum vaporis, vapor e herbis aromaticis, balneum cum nido formicarum paratum, balneum animale, balneum e vinaceis aut e malto, Galvanismus, Perkinismus, Magnetismus mineralis, Magnetismus animalis, compressio et fusticatio baccillis et acupunctura.

Hancce curam rheumatismi pro varia morbi forma diversimode modificare oportebit; topica praepriis auxilia adfectis locis specialius adcommodando, ac pro interno usu talia praefereudo remedia, quae versus unum, alterumve organon electivam quamdam exercere possent actionem. Complicationes juxta generales leges therapeuticas erunt tractandae. Ubi tamen morbus jam ita irradicatus esset, ut diathesis ejus vix extirpari posset, tunc aegris commendantur imprimis, ut curam habeant pedum et capitis, coacti in aëre, loco frigido humido morari pedes muniant vesica bovina vel suilla vel tela cerata; cutim universam omni die mane fricent moderate setaceo molli, et quamprimum frigidiores observantur dies corpus obtegant vestitu laneo, quem nonnisi diebus calidioribus derelinquant.

Regimen denique diaeteticum in eundem cum therapeutiis collimet scopum, oportet. Aër sit purus aequabilis siccus moderate calidus, calor excessivus aequè ac frigus omnia tormina exasperat, quod pariter de quavis nepentina vicissitudine valet. Victus parcus sit, digestu facilis, vegetabilis; potus temperans, diluens, tepidus, vel egelidus. Convalescentes demum quammaxime ab injuriis atmosphaericis caveant, ne diathesis rheumatica per morbum exantlatum inducta, quae per longum saepe tempus clandestine delitescens in recens erumpat malum.

T h e s e s .

1.

Rheumatismus ab arthritide indole sua differt.

2.

Divisio exantheumatum, ab eruptionum physionomia desumpta talo infirmo insistit.

3.

Vox Populi in medicis dijudicandis nil valet.

4.

Formatio puris intra cancellos alveolorum dubia.

5.

Variola modificata, quae in vaccinatibus occurrit individuis, variolae verae progenies est

6.

In ambobus oculis cataracta affectis, operationem in utroque oculo simul instituere rarissime convenit.

7.

Nec ullam quis corporis animalis functionem indicabit, ad quam suam non contribuat symbolam aqua.

8.

Indoles Parotitidis psycicae rheumatica.

9.

Stimulans narcoticorum actio tantum negativa est, eaque nec constans nec principalis.
